

V. 1<sup>a</sup> F.

(cat. 4, 10-33<sup>b</sup>)



Inhalt:

1. Progr. (De convictorio acad. Lips.) Lips. 1734.
2. Progr. (De Rud. Ferd. L. B. de Silverstein et Kilnickau, ejusque in acad. Lips. beneficentia). Lips. 1732.
3. Progr. (Joh. G. Pfeiffer, De vita, rebus gestis et virtutibus R. F. M. de Silverstein et Kilnickau). Lips.
4. Ber. Urb. Hydrogr. Lipsia Uterarum patrona. s. l. 1709.
5. Progr. ad sacra eucharistica et ad Augustanae, confessionis ante hos 20 annos susceptae memoriam. Lips. 1739.
6. Carmen eucharisticum ob memoriam doctrinae sacrorum ante hos 20 annos instauratae. Lips. 1739.
7. Synopsis statutorum et studiosis acad. Lips. observandorum. s. l. a. a. dei sacrae studii Lipsiae.
10. Juramentum. Lips. 1682.
11. Academiae Lipsiensis Rectores sec. I-II. ab a. 1410 a. 1709.
12. Inscr. in aedificio aed. gub.
13. Enumeratio professorum publicorum in academia Lipsiensi. 3 Partes. 1652. 1662. 1664.
14. Inscr. in aedificio Curiae. Augusti Blücheri Facultatis Collegium. (Lips.) 1718.
15. Progr. (De stipendio Silversteiniano). Lips. 1733.
16. Progr. (De virtutibus quibus alumni Silversteiniani stipendii ornati esse debent). Lips. 1744.
17. Post. Joh. Fr., De voce magistri in titulo acad. Lipsiensis etiam occurrente. Lips. 1729.
18. 19. Progr. (I et II: De rebus philo-sophicis ab anno a condita academia 201<sup>e</sup> ad annum ejusdem epochae  
21<sup>um</sup>) Lips. 1710.
20. Progr. (De decanatu philo-s. Lips.) Lips. 1712.
21. Progr. (De professoribus historicarum ordinariis in acad. Lips. a prima ejus origine). Lips. 1732.
22. Progr. (De professoribus rhetorices in acad. Lips.) Lips. 1702.
23. Progr. studii philo-s. Lips. ad promotionem doctorum (De promotionibus academicis). Lips. 1624.
24. Progr. (De syndicis acad. Lips. eorumque origine). Lips. 1740.
25. 26. Index lectionum. 1771. 1772. (Summa) Lips.
27. Inscr. in aedificio aed. gub. Lipsiae. Lips. v. J.
28. Inscr. in aedificio aed. gub. Lipsiae. Lips. v. J.
29. Inscr. in aedificio aed. gub. Lipsiae. Lips. v. J.
30. Inscr. in aedificio aed. gub. Lipsiae. Lips. v. J.
31. Inscr. in aedificio aed. gub. Lipsiae. Lips. v. J.
32. Inscr. in aedificio aed. gub. Lipsiae. Lips. v. J.
33. Inscr. in aedificio aed. gub. Lipsiae. Lips. v. J.
34. Inscr. in aedificio aed. gub. Lipsiae. Lips. v. J.
35. Inscr. in aedificio aed. gub. Lipsiae. Lips. v. J.
36. Inscr. in aedificio aed. gub. Lipsiae. Lips. v. J.
37. Inscr. in aedificio aed. gub. Lipsiae. Lips. v. J.
38. Inscr. in aedificio aed. gub. Lipsiae. Lips. v. J.







*de Rud. Ferd. M. de Silverstein et Pilnickau 2*  
*ejusq. in Acad. Lips. beneficentia*

AD  
VIRI PERILLVSTRIS ATQVE GENERO-  
SISSIMI DOMINI,  
D O M I N I  
RVDOLPHI FERDINANDI  
LIBERI BARONIS  
DE SILVERSTEIN ET PILNICKAV,  
HAEREDITARII IN KLEIN-EILA, CRASCHEN, PAV-  
SEN, DAVBER, BVCHWALDE, BARG, ET RELIQA,  
IAM BEATI  
MEMORIAM ANNIVERSARIAM  
TRIBVS ORATIONIBVS 1732  
IN AVDITORIO PHILOSOPHICO  
D. XVII. APRIL. HVIVS ANNI RVDOLPHI MEMORIAE  
IN FASTIS SACRO  
POST HORAM DECIMAM  
PVBLICE CELEBRANDAM  
RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM,  
ILLVSTRISSIMOS COMITES,  
VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES,  
VT ET  
OMNIVM ORDINVM HVIVS ALMAE STUDIOSON  
TESTANDAE PIETATIS GRATIA  
EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA ATQVE HVMANITATE  
INVITANT  
TRIVM SVPERIORVM FACVLTATVM  
DECANI.



Ametſi piac mentes , quando depositis huius corporis exuuiis ſedibus beatis recipiuntur, non tantum quieſcunt ab omnibus huius vitae laboribus atque aerumnis , ſed et bona ipſorum opera eas ſequuntur , (\*) quod nos, contextu ſuadente, non tam de remuneratione horum operum, quam potius de ipſis bonis operibus, in alteram vitam pios comitantibus, veluti amore, adoratione, laudibus, concelebratione ſanctiſſimi Numinis, et id genus aliis virtutibus Chriſtianis, intelligendum eſſe exiſtimamus, certo tamen modo etiam piorum bona opera poſt ipſorum ex hac vita diſceſſum in his terris ſuperare, quin imo ipſos vt in regno gloriae, ſic etiam adhuc in regno gratiae, vt olim, bene operari, ſiue edere etiamnum bona opera, nulli affirmare dubitamus. Scilicet vt impii etiam poſt mortem in hoc mundo variis modis dicuntur peccata committere, quod argumentum ex noſtratis B. D. S. A. M. S. C. H. E. L. G. V. I. G. I. V. S. peculiari Diſſert. Theol. *de Peccatis poſt mortem commiſſis*, (\*\*) erudite excuſſit atque demonſtrauit, ſic quo minus, pios etiam poſt mortem in his terris bonis operibus operam dare, dicere queamus, quid obſtet, non videmus. Quod ſi quaeras, quot et quibus modis hoc poſſit fieri, vt ipſi etiam poſt mortem in his terris bene operentur, equidem omnes illos in praeſenti recensere modos noſtri inſtituti non fert ratio, tres tamen, eosque forte principes atque primarios, ſcilicet liberos bene educando, et in pietate inſtituendo, in quibus pii Parentes atque Praeceptores, ſcripta pietatem promouentia in lucem emittendo, in quorum lectoribus piis itidem pii eorum Auſtores , et denique partem bonorum ſuorum teſtamento piis uſibus legando, in quorum poſtmodum piis haeredibus , his bonis recte fruuentibus, ipſi teſtatores quaſi adhuc in uiuis ſuperſites bene operentur, ſilentio non proſus praetermittere ualemus. Quis enim, vt de bonorum librorum publicatione exemplum bene operantis poſt mortem Auſtoris iam allegemus, quis, inquam, Regem DAUIDEM, quoties pii aureos et diuinos eius Hymnos Euchariſticos vel ore tantum vel inſtrumentorum Muſicorum concentu modulantur, et ſic DEVM, ipſo praecunte, laudibus extollunt atque concelebrant, tunc etiam in ſolo in his piis ſuorum Hymnorum modulaturibus, perinde uti in polo, ſimul laudare DEVM ſuum, et ipſius nomen extollere dubitet? Et cum in litteris arcanis Noui foederis diuus PETRVS in hunc finem ſuas Epiſtolas litteris conſignaffe dicat, vt Chriſtiani earum lectores poſt exitum ſuum pia eius et ſalutaria monita eo feliciter memoria recolere, eademque tenaciter retinere queant, (\*\*\*) quid aliud quaero, niſi quod nos uolumus, ſcilicet ſe etiam

(\*) Apoc. XIV, 13. (\*\*) Gedan. 1708 recuſ. Witteb. 1711. (\*\*\*) 2. Petr. I, 15.



etiam post fata adhuc bene operari, et defunctum etiam in Ecclesia militante quomocunque boni Doctoris officio defungi velle, intendit? Idem esto iudicium de piis iisque pecuniosis atque locupletibus Christianis, partem aliquam suarum facultatum post mortem sacris visibus testamento scribentibus, quod scilicet ipsimet in societatem omnium bonorum operum, quae postmodum his opibus adiuti haeredes Ecclesiae vel Reipublicae praestant, simul veniant, atque sic etiam post fata superstitibus in hoc mundo pietati adhuc operentur. Atque hinc est, quod in bene constitutis Rebuspubl. Christiani Magistratus in Constitutionibus suis Ecclesiasticis Ministros Ecclesiae inter alia, vt Auditores suos aegrotos, imprimis opibus abundantes, ad partem aliquam bonorum suorum pauperibus legendam sedulo et verbis flexanimis adhortentur, diserte iubeant. Serenissimi sane SAXONIAE nostrae Electores, vt ipsimet ingens pecuniae pondus laudabili prorsus et gloriosissimo exemplo in eiusmodi pios vsus collocarunt, (\*) sic etiam in suis *Constitution. Ecclesiast.* (\*\*) idem officium suis Pastoribus atque Diaconis his verbis praescripserunt: Zum siehenden sollen Pfarrer und Kirchen-Diener franche und besonders reiche und vermögende Leute mit guten Stimpff und Bescheidenheit vermahnen, daß sie zu Unterhaltung der Armen von ihrer Verlassenschaft etwas verordnen wollen. Sed condolendum tantum summo opere atque deplorandum, quod, cum olim ante salutarem B. LVTHERI nostri Reformationem et a viuentibus et morientibus opes atque facultates in vsus Ecclesiae maximam partem superstitiosos, atque hinc Deo ingratos, larga manu effunderentur, nostris temporibus pauci admodum ex diuitum huius seculi sint ordine, qui adhortationis Apostolicae memores, (\*\*\*) aliis vel in vita, vel saltem etiam in morte benefaciant, et diuites sint operibus bonis, faciles ad impertiendum, facili conuictus, recondentes sibi ipsis fundamentum bonum in posterum, vt apprehendant vitam aeternam. Iam suo tempore B. LVTHERVS de hac suorum reformatorem coetuum duritie atque inclementia grauius est conquestus. Vorher, inquit Vir diuino zelo correptus, da man dem Teuffel dienete, und Christus Blut schändete, da stunden alle Beutel offen, und war des Gebens zu Kirchen, Schulen, und allen Breueln keine Maaß. Da konte man Kinder in Klöster, Stiff, Kirchen, Schulen treiben, fressen und zwingen mit unfäglicher Kost, das alles verlohren war. Nun man aber rechte Schulen und rechte Kirchen soll stiftten, ja nicht stiftten, sondern allein erhalten im Gebäu, denn Gott hats gestiftet, und genug darzu gegeben auch zu erhalten, und wir wissen, daß

) 2 (

(\*) De quibus CARPZOV. Jurispr. Eccles. Definit. 409. n. 6. et B. CHRISTIANVS GERBERVS in suo Tract. Germanico von den Unerkannten Wohlthaten Gottes in dem Churfürstenthum Sachsen, L. I. P. I. c. II. quod inscribitur von den vielen Stipendiis und milden Gestiften in Sachsen, p. 252. sequi in compendio videri possunt.

(\*\*) General. Articul. n. XXXIV. von Gottes-Kassen. (\*\*\*) 1. Tim. VI. 18. 19.

Gottes Wort ist, und daß es die rechte Kirche gebauet heisset, Christus  
 Blut und Marter geehret, da sind alle Deutel mit eiseren Ketten zu-  
 geschlossen. (\*) Quamquam vero, quod diximus, pauci sint inter  
 opibus atque diuitiis pollentes, qui vel in viuis vel in supremis suis ege-  
 nis, imprimis litterarum Studiosis, ad excolenda maiori successu at-  
 que fructu studia quidpiam de bonis suis ordinent, tamen subinde oc-  
 currunt adhuc quaedam piorum ditiorum exempla, qui non tantum,  
 dum viuis interfunt, alios fortuna afflictos cum illiteratos tum litte-  
 ratos opibus suis subleuant, sed etiam in testamento suo conscribendo  
 eorum sunt memores, et pro facultatibus atque diuitiis a Deo datis in-  
 signem interdum earum portionem testandae pietatis causa iisdem  
 assignant. Atque inter hos lautioris fortis homines, sed insimul de  
 opibus suis admodum liberales, iure meritoque referimus *Perillu-  
 stre* et *Generosissimum Dominum*, DN. RVDOLPHVM  
 FERDINANDVM, LIBER. BARONEM DE SIL-  
 VERSTEIN ET PILNICKAV, *Haereditarium in  
 Klein-Eila, Craschen, Pausen, Dauber, Buchwalde et Barg*, iam  
 beatum, qui, cum propter Religionem Euangelico-Lutheranam exul  
 in peregrino solo extra patriam, prudenti atque indefessa rei suae fa-  
 miliaris administratione amplissimas fortunas, DEO fortunante et  
 pietatem eius remunerante, acquisiuisset, non solum dum hac aura  
 vitali fruebatur, liberali manu pauperum necessitatibus per omnem  
 vitam succurrit, sed etiam splendidissimam vim auri atque argenti ad  
 alendum et sustentandum certum numerum trium superiorum Fa-  
 cultatum huius *Almae nostrae* in testamento suo constituit atque or-  
 dinauit. Nos pietatem quidem et gratissimam nostram voluntatem  
 pro tam munifica in hanc Musarum sedem Beati Testatoris propen-  
 sione atque beneuolentia, vti par erat, pro virili nostra parte declara-  
 turi, vitam ipsius plenius hic describere primum in animum induxe-  
 ramus, sed sufficienti eius notitia nondum imbuti alii forte occasione  
 hanc telam pertexendam reseruamus, in praesenti tamen, quo mi-  
 nus aliquem eius gustum ex litterario aliquo Monumento, a SA-  
 MVELE GROSSERO, celeberrimo Gymnasii *Gorlicensis* hoc tem-  
 pore Rectore, nomine totius *Collegii* in eodem *doctium* in hono-  
 rem et perpetuam *Perillustri* nostri in Toga Herois SILVER-  
 STEINII memoriam lingua vernacula exstructo, et a nobis, prae-  
 fertim, cum illud ipsum monumentum in paucorum forte sit mani-  
 bus, concise hic exscripto (\*\*) cum Lectore communicemus, a nobis  
 impe-

(\*) Tom. V.I.P. f. 182. b.

(\*\*) Titulus Orationis lingua patria conscriptae hic est: Das auf vier rühmlich erwor-  
 bene Denk-Säulen gestellte Ehren-Monumentum, des weyland Hoch-Wohlgebohrnen  
 Herrn, Herrn Rudolph Ferdinand, Freyherrn von Silberstein und Pilnickau, auf  
 Klein-Eila etc, vor seine dem Görlichschen Gymnasio zu erspriesslichen Aufnehmen gereit

impetrare non potuimus. Sincerae suae in Deum pietatis, quam inter  
 virtutes Generosissimi nostri RVDOLPHI recte primo loco col-  
 locamus, illustre admodum in flore aetatis suae dedit documentum.  
 Cum enim anno superioris seculi quinquagesimo secundo veteres  
 fessores Regni Bohemiae, religionem Euangelico-Lutheranica profes-  
 si, pro duritie illorum temporum, aut cum Romano-Catholicam ean-  
 dem commutare, aut patrias sedes cum suis possessionibus relinque-  
 re, et in exilium abire iuberentur, hoc tristissimum fulmen inter alias  
 etiam hanc Perillustrem nostram SILVERSTEINIANAM  
 Gentem, quae iam ab antiquis temporibus in hoc Regno flouerat,  
 et splendidissimis subinde et grauissimis muneribus Regis non  
 sine laude praefuerat, perculit, vt beati nostri RVDOLPHI Parens,  
 cum sua familia Sacrorum Euangelicorum religiosissime tenax, ex patria  
 sua, relictis bonis suis immobilibus, itidem discedere, et alias beatiores se-  
 des, in quibus ipsi cum domo sua sine violatione et flagellis mentis con-  
 scia recti cultum Deo praestare foret integrum, exquirere cogeretur.  
 Quamquam vero hic facile coniectu est, quam difficillimam luctum  
 hic noster iunior RVDOLPHVS, ex vna parte Patriis adhortationibus  
 extrinsecus, et stimulis conscientia intrinsecus ad constantiam in fide,  
 ex altera vero parte mundi deliciis atque honoribus ad defectionem  
 a fide identidem sollicitatus, in tam lubrico aetatis, quippe non am-  
 plius quam quatuor et viginti annos natus, primum in animo suo per-  
 fenserit, tamen per indulgentiam Numinis diuini has Syrtis feliciter  
 eluctatus, coelestia terrestribus, aeterna caducis, humilibus et abiectis  
 sublimia et excelsa anteposuit, atque sic heroico, vel potius, diuino  
 Spiritu ductus Patrem piissimum in exilium pari passu est secutus. In  
 quo itinere ineundo, cum ab amantissima Matre sua ad difficultates  
 illius quomodocumque alleuandas viaticum quadraginta Imperialium  
 dono accepisset, tanti hoc munusculum veluti singularis materni in se  
 amoris signum fecit, vt aliunde suis necessitatibus occurrere, quam  
 illud iisdem impendere, atque sic istud inter pretiosissimos suos thesau-  
 ros postmodum acquisitos reponere, et in perpetuam huius indulgen-  
 tissimae Matris memoriam illibatum, et, vti acceperat, intactum per  
 omnem vitam conseruare maluerit, quod vel solum, quanto amore  
 et quanto honore hanc suam Matrem, ex qua vitam hauserat, in tam  
 viridi aetate iam percoluerit, indicio esse potest. Nec tulit hic No-  
 ster vtriusque suae tum aduersus DEVM tum aduersus Matrem pietatis  
 non egregium prorsus fructum: promissionis quippe a Deo filii mo-  
 rigeris in Praecepto quarto, et a Christo discipulis suis, omnia ob pro-  
 fessionem nominis sui in hoc mundo deserentibus, sed centuplum iam  
 hic relaturis, in nouo foedere liberaliter factae et in se, cum vitae suae  
 felici-

felicitate tum longaeuitate, cumulatissime adimpletae, vti iam pluri-  
bus demonstrabimus, longe locupletissimus testis. Scilicet cum alii  
huius aetatis Iuuenes generoso sanguine prognati belli fortunam, vt-  
cunque dubiam experiri, quam domi sedere, et curis rei familiaris di-  
stringi malint, hic Noster contra pacis artium magis studiosus ad in-  
defessam et a Patriarchis imprimis vetustissimis tantopere adamatam  
et exultantem rei pecuariae atque agræ tractationem animum adpulsit,  
praesertim, cum ei in Perillustris et Generosissimi Domini, Domini Ba-  
ronis de KITTLITZ relictae Viduae domo commodam ad id vitae  
genus ineundum fortuna offerret occasionem. Huius enim Perillu-  
stris Viduae, sed in multo aere alieno a marito relictae, domum felici-  
bus auspiciis ingressus, non tantum partem curae rei ipsius familiaris  
libenter primum sibi imponi passus est, sed postmodum Filia ipsius,  
puella Generosissima, vt in aliis suum sexum decentibus disciplinis atque  
virtutibus, sic maxime in rebus domesticis bene gerendis exercita-  
tissima, in matrimonium ducta, totum illud curarum agræstium atque  
domesticarum onus a Socru in suos et vxoris suae humeros vidit deuo-  
lutum. Hic vero, cum omnia munia prudentis, laboriosi, et solertis Pa-  
trisfamilias fideliter et indefesse obiret, imprimis vero non prius, nisi pre-  
cibus ad Deum mane praemisissis, labores illos domesticos auspicaretur,  
eosque iisdem iterum vesperi finiret, tantam secundante ipsius operas  
clementissimo Numine percepit fructuum atque reddituum ex hoc ager-  
lo vbertatem, vt breui non modo mala nomina socrus suae penitus aere  
ex his fructibus collecto delere, sed et ipsius praedii illius *Eula* possessionem  
beneficio *pasti Antichretici* sibi posset acquirere. Quemadmodum  
vero fit, vt, quando semel diuina Clementia benedicere piis coepit,  
non desissetur, sed potius maior indies fiat eundo, sic etiam hic noster  
pius imprimis et non indiligens Paterfamilias tantam postmodum et  
fere quotidianam pensensit ex hac indulgentia Patris sui coelestis bo-  
norum suorum amplificationem, vt in plurium deinde non con-  
temnendorum praediorum possessionem atque procuracionem facile  
negotio perueniret. Atque sic ab altera nostri RVDOLPHI praes-  
tantiori virtute, scil. solerti rei Familiaris administratione ad tertiam  
eamque maxime illustrem, nimirum singularem eius, et non vbiuis ob-  
uiam erga pauperes atque egenos beneficentiam atque liberalitatem  
pedem promouemus. Gnarus enim hic noster, non suo studio suo-  
que labore has opes, quas possidebat, omnes acquisiuisse, sed ex liberali  
DEI se accepisse manu, non vt nummos in arcula conclusos per aeta-  
tem teneret, sed vt iisdem more Christiano foerneret, piorum paupe-  
rum miserendo iisque dando largiter, atque sic ipsi quasi DEO, quod  
Scriptura dicit, pecunias suas foeneri dando, gratissimam in DEVM  
pro tot et tantis beneficiis voluit declarare voluntatem. Nec sigilla-  
tim duntaxat viritimque miseris et egenis personis, imprimis orbis  
atque viduis, opem se attulisse contentus, ad Templas, Scholas, Or-  
phanotrophias, et alia id genus aedificia publica sacris vsibus destinata,  
vel

vel a fundamentis excitanda, vel, si quando vetustate essent corrupta, iterum reficienda, non parum ipse contulit argenti. In quibus pecuniis conferendis tanta saepius prudentia atque cautione usus est, ut, ne sciret sinistra, quod erogaret dextra, neue vanae laudis aut gloriae consequendae causa se adeo munificum atque liberalem esse cupiam in mentem venire posset, ipsi saepius hanc summam pecuniae accipientes, vndenam et a quonam acciperent, ignorarent. Id quod in primis in fundatione *Fisci Vidualis Sorauiensis* contigit, cuius initia B. DN. BARO centum Imperialibus adiuuit, plane tecto et suppresso suo nomine, teste Dn. M. I. S. L. Fisci illius tunc Prouisore.

Quemadmodum vero sic in vita sua vsque ad extremam aetatem, quam raro admodum exemplo anno tertio et nonagesimo molliter et placidissime finiit, quam plurima, sic non minus etiam post fata sua huius suae pietatis atque amoris in pios pauperes nunquam a quod se intermorituri excellentissima sane et perquam illustria voluit extare monumenta. Cum enim interdum Amici quidam atque familiares eius sortem, quod ex se nullam relinqueret stirpem, vel ut Romae loqui amant, nullos omnino NEPOTES, apud se condolerent, iocabundus quasi: *Dantur vbius pauperes, atque hac ratione etiam post discessum meum haeredes et secundum fidem NEPOTES inuenientur, qui bonis abs me relictis suam utilitatem atque salutem promouebunt*, respondit. Id quod etiam non magis liberaliter promissit, quam reapse et cumulatissime in voluntate sua vltima significanda Beatus noster Testator praestitit. In hac enim, postquam in partiendis et distribuendis post mortem opibus suis amantissimae suae vxoris aliarumque suarum necessitatum primam et laudabilem habuisset curam, insignem et plane admirandam patrimonii sui relictam partem et redditus inde percipiendos variis Templis, Scholis, Studiosis, imo aliis quoque in summa rerum inopia viuentibus legauit. Nos numerum illorum legatorum eorumque leges atque conditiones, quas B. noster Lib. Baro de SILVERSTEIN in testando dedit, aliis describendas atque concelebrandas relicturi, quam propensissimo saltem in hanc almam MVSARVM LIPSIENSIVM sedem fuerit affectu, et quam insignite liberalem erga pauperiores, sed simul bonae frugi Ciues eius in hoc Testamento suo se praebuerit, hic non commemorare, simulque maximis laudibus hanc eius summam in nos beneuolentiam atque liberalitatem extollere non possumus. Scilicet placuit Venerando Seni nostro Testamentum condituro, primo summam pecuniae *septem mille et quingentorum Imperialium*, e cuius fortis elocatae annuis *septem triplex* Stipendium *maius* sic dictum, summa subducta, *centum et quinquaginta* Imperialium; et iterum alteram pecuniae vim *quater mille* nimirum Imperialium, e cuius fortis elocatae annuis *viuis* denuo *triplex* Stipendium sic dictum *minus*, vnumquodque *octoginta* Imperialium, tribus trium superiorum Facultatum, *Theologicae, Iuridicae* atque *Medicae* Studiosis in hac Alma nostra diligenter litteris operantibus

bus *per integrum triennium* exsolueretur fruendum, in hoc suo testamento destinare, his quidem legibus, vt *primo* tres illi Studiosi, vel maiori vel minori Stipendio fruituri, sint vnus ex SILESIA, alter ex LVSA TIA vel superiore vel inferiore, tertius ex MISNIA oriundus, *secundo* sint etiam Religioni Evangelico-Lutheranae constanter addicti, *tertio* pietatis, bonae mentis, vt et studiorum cum amantes tum capaces, sed *quarto* ad impensas studiorum ferendas opibus exhausti, hancque suam egestatem, vt et *quinto*, quod in Ludis litterariis vel Gymnasiis omnibus iis artibus atque disciplinis, quibus puerilis aetas hic locorum impertiri debet, bene fuerint exculti atque praemuniti, testimonii fide dignis, et, quod imprimis vltimum momentum spectat, in *Examine* ab Executoribus testamenti sui Ordinis Professoribus semper praemittendo promississimis repositionibus indubitato confirmauerint, ex quorum numero tres deinde, qui bene steterint in examine, et prae caeteris digni sint visi, iterum eligendi, et triplici sorte ab his tribus ducta, ei, cuius felicior fors DEO praeside atque dirigente exierit, stipendium ordinis sui assignandum. Quo tamen huius tam insignis atque excellentissimi beneficii testator esset memoria, tres Studiosi eiusdem per fortem participes facti quotannis die Aprilis XVII. RVDOLPHO in Fastis sacro tres Orationes, in quibus simul vetustissimae SILVERSTEINIANAE Gentis atque Nominis fieret, vti par erat, commemoratio, in memoriam Perillustrius huius atque Generosissimi Fundatoris, sancte conferendam, tum etiam ad gratissimum suum et obstrictissimum pro tanto munere animum quomodoocunque significandum, habere denique iubentur. Cum igitur feria quinta huius hebdomadis dies illa RVDOLPHI memoriae sancta in Fastis iterum redeat, nos *trium superiorum Ordinum in hac Alma* Decani, officii nostri memores, tres nostros Oratores, Stipendii huius SILVERSTEINIANI maioris iam confortes, scilicet ex *Ordine Theologico*,

Dn. DAVIDEM HELLWIGIVM, Ieschkend. Silef. de *Vsu et Abusu Legatorum*,  
*ex Ordine Iuridico*,

Dn. IO. CHRISTOPHOR. REGNERVM, Halb. Lusat. de *Vita et Fatis Lib. BARONIS de SILVERSTEIN*,  
*ex Ordine vero Medico*

Dn. IO. Gottlob HERTELIVM, Lipf. Misn. Carmine Heroico de *Stipendiorum utilitate*, publice peroratos, stata die in cathedra publice sistemus, ad quorum omnium trium Studiorum Orationes in *Auditorio Philosophico*, id genus Orationibus a praeceptoribus maxime dicato, *post horam decimam* beneuole audiendas MAGNIF. ACADEM. RECTOREM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, vt et vtriusque REIPUBLICAE PROCERES, omniumque ordinum Ciues nostros ea, qua decet, obseruantia atque humanitate inuitamus, hoc pietatis et officii genus quauis data occasione paribus, vel aliis officiis pro virili nostra parte grate pieque demerituri PP. Lipf. ipsis Vigiliis Paschat. A. O. R. MDCCXXXII.

LIPSAE, EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

Yc 6897

2<sup>o</sup>

III

ULB Halle 3  
002 690 918




5b.

1077


n. l. u







ores. Id vero memo-  
articularium, haecenus  
iugio sterili vixerint, vel  
ero foecundissimi vege-  
um tam ingratae erit in-  
ur? Atque idem fere in  
VERSTEIN,



ANA.

*De Rud. Ferd. M. de Silverstein et Pilnickau*  
*ejusq; in Acad. Lips. Beneficentia* 2

AD  
VIRI PERILLVSTRIS ATQVE GENERO-  
SISSIMI DOMINI  
DOMINI  
RVDOLPHI FERDINANDI  
LIBERI BARONIS  
DE SILVERSTEIN ET PILNICKAV,  
HAEREDITARII IN KLEIN-EILA, CRASCHEN, PAV-  
SEN, DAVBER, BVCHWALDE, BARG, ET RELIQA,  
IAM BEATI  
MEMORIAM ANNIVERSARIAM  
TRIBVS ORATIONIBVS 1732  
IN AVDITORIO PHILOSOPHICO  
D. XVII. APRIL. HVIVS ANNI RVDOLPHI MEMORIAE  
IN FASTIS SACRO  
POST HORAM DECIMAM  
PVBLICE CELEBRANDAM  
RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM,  
ILLVSTRISSIMOS COMITES,  
VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES,  
VT ET  
OMNIVM ORDINVM HVIVS ALMAE STUDIOSON  
TESTANDAE PIETATIS GRATIA  
EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA ATQVE HVMANITATE  
INVITANT  
TRIVM SVPERIORVM FACVLTATVM  
DECANI.